Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: <a href="https://creativecommons.org/licenses/by/4.0/deed.de" target="_blank">CC BY 0.4 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"></a>  <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">  <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



ac

in synagoga cum Judeis et cum gentibus et in foro per omnes dies ad eos
qui occurrebant. Quidam autem epicuri et stoici philosophi disserebant
cum eo. Et quidam dicebant: Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero
dicebant: Novorum daemoniorum videtur annuntiator esse, quia Jesum et resur-
rectionem annuntiabat eis. Et apprehensum eum ad Areopagum duxerunt
dicentes: Possumus scire quae haec nova quae a te dicuntur doctrina? Nova enim
quaedam inferis auribus nostris. Volumus ergo scire quid sibi velit haec esse.
Athenienses autem omnes et advenae hospites ad nihil aliud
vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid novi. Stans autem Paulus in
medio Areopagi ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosos vos
video. Praeteriens enim et videns simulacra vestra invenio aram in qua scripto
est: Ignoto deo. Quod ergo ignorantes colitis hoc ego annuntio vobis.
Deus qui fecit hunc mundum et omnia quae in eo sunt hic caeli et terae cum sit dominus
non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo,
cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia. Fecitque ex uno omne
genus hominum inhabitare super terram, definiens tempora statuta et fines
habitationis eorum, quaerere Dominum si forte attrectent eum aut invenient
quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus
et movemur et sumus, sicut quidam vestrorum dixerunt: Ipsius enim
et genus sumus. Genus ergo cum simus dei, non debemus existimare au-
ro aut argento aut lapidi sculpturae artis et cogitationis hominis di-
vinum esse simile. Et tempora quidem huius ignorantiae despiciens deus, nunc
annuntiat hominibus ut omnes ubique poenitentiam agant, eo quod statuerit diem
in quo iudicaturus est orbem in aequitate in viro in quo statuit fidem omnibus
credendo, suscitando eum a mortuis. Cum audissent autem resurrectionem
mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus
te de hoc iterum. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam vero
viri adhaerentes ei crediderunt, in quibus et Dionysius
Areopagita et mulier nomine Damaris et alii cum eis.

18. Post haec egressus ab Athenis venit Corinthum et inveniens
quendam Judaeum nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper venerat
ab Italia et Priscillam uxorem eius eo quod praecepisset Claudius
discedere omnes Judaeos a Roma, accessit ad eos. Et quia eiusdem
erat artis manebat apud eos et operabatur. Erant autem sartores
artis. Disputabat autem in synagoga per omne sabbatum et suadebat Judaeis